

16 dec. Typ. Theologica de materia Baptismi, ad Schelguig. Mollerus Genu.

IN GLORIAM MEDIATORIS.

EXERCITATIO THEOLOGICA
DE C. 12. num. 15.

M A T E R I A
S. S. BAPTISMI,

P. 341 Quam, 1688, 2
DIVINA annuente GRATIA,
P. Sub PRÆSIDIO

V I R I

Summè REVERENDI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
DN. SAMUELIS SCHELGUIGII,

SS. Theol. D. PP. & Rectoris itemque ad
Æd. SS. Trinit. Pastoris,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS, FAUTORIS
ac Studiorum suorum PROMOTORIS aeternum devenerandi,

IN AUDITORIO ATHENÆI PATRII MAXIMO,

A. C. M. DC. LXXXIX. die XVI. Decembris.

Solenniori disquisitioni, exponet,

JOANNES Bottlieb MÖLLERUS, Ged.
A U C T O R.

G E D A N I ,

Imprimebat DAVID · FRIDERICUS RHETIUS.
Gymn. Typogr.



IN CLOSERIA MARCHIORI
EXERCITATIO THEOLOGICA
DE
MATERIA
DEO
TE
PATERIA
SACRUM.
IN
ANALOGIA PATRIAE FUNDATORI
OMNIA
ADDITIONE PATRINI PATRUM
EX HOC DE PATRINA
ALIO LATER
JOANNES DAVID MOTTERUS
ALIO LATER
O C O N
TYPICORVM DAVID FRIDERICVS PHILIPPI
ETC



JESU Gratiâ Moderante
PROOEMIUM.

Quantumvis totus ille, quâ patet, ter-
rarum orbis, nihil sit aliud, quâm
habitaculum innumerabilium, qui-
bus ab æterno Numine completur
quotidie, miraculorum: Divinæ ta-
men placuit Sapientiæ, illustrissima maximeque
conspicua in Elemento aquæ repræsentare homi-
nibus miracula, quæ omnes hominum sensûs
quâm longissimè transcendent, omnemque Phi-
losophorum aciem, utut acutissimam, non exer-
cere solùm, sed hebetare penitus possint. Ipsum
illud vastum & impetuosum mare, quid est, nisi
variarum \mathcal{E} mirabilium rerum quædam quasi offi-
cina, \mathcal{E} , ut ita dicam, præstigiatorum saccus, ex
quo quotidie nova depromere miracula liceat; ut
cum magno magni nostri Lutheri Parastatâ,
Brentio (1) loquamur. Quantum DEI mira-
culum est stupendus ille Euripi fluxus & reflu-
xus, de quo Seneca: (2)

*Euripus undas flebit instabilis vagas,
Septemj cursus flebit, \mathcal{E} totidem refert,
Dum laffa Titan mergit Oceano jubar.*

A

Quid

(1) T. 4. Opp. Comm. in C.I. Eccl. f.5. (2) in Herc. Oct. v.971.

PRO O E M I U M .

Quid de admirandâ aliarum aquarum ratione dicemus, quarum fermè quælibet, singulari suâ virtute & naturâ, à D E O est instructa. Immortale Patriæ nostræ decus Philippus Cluverius (3) refert, Lacum Circonensem, singulis fere annis, sub finem auctumni, aquis repente ex abdito erumpentibus, magnamque piscium vim aduentibus, omnem inundare campum; appropinquaret autem æstate, aquis rursus abdita petentibus, exarescere, ita, ut, quo in loco paulò ante piscatus fueris, in eo sementem ac messem facere, simulque venari queas. De lacu, cui nomen Tatta, memorat Strabo (4) & ex eo Majolus (5) aquam ejus hanc habere naturam, ut quodcumque adsperrat & leviter saltem madefiat, adeò facilè salis formam accipiat, ut statim humor congelatus appareat; immò aves, si prætervolantes summâ aliarum parte aquam paulisper attigerint, quasi visco captæ, volandi vim amittant, pennis illico congelatis, & sale conglutinati. Notatu planè dignum est, quod de fluvio in Transylvaniâ, circa pagum Gagy in Theatro Europæo (6) narratur. Hic aquas sapore dulces, at virtute suâ adeò pernicioſas habet,

(3) Ital. antiqu. L. I. c. 21. (4) L. XII. (5) Diebe-
canic. 177. (6) T. IX. p. 923.

bet, ut homines earum gustu, non solùm strumis horrendæ magnitudinis, circa corpus deformen-
tur, sed sensu planè communi priventur, ut vi-
cinis non homines, sed statuæ videantur. Et
quid de illis dicemus aquis, quibus omnipoten-
tia Divina, stupendam gravissimos sanandi mor-
bos vim concessit? Bethesda, cuius Joh. V. fit
mentio, vicem explere omnium poterit. Hic
certè lacus, reliquos totius Orbis lacûs, virtute
suâ excescit. In aliis nunc mundantur ulcera,
nunc refrigerantur nimis calida, nunc calefiunt
frigida, nunc exsiccantur humidiora, nunc hume-
stantur sicciora, nullibi tamen omnibus morbo-
rum generibus præbetur Medicina, uti hoc in
lacu. Unde quàm rectissimè pii veteres, & in-
ter eos aureum Eloquentiæ flumen Chrysosto-
mus,(7) figuram in Bethesdâ pulcherrimam SS.
Baptismi quæsivere, in quo æterni Numinis mi-
sericordia, universalem generi humano salutis
fontem aperuit, ut omnes sine discrimine, bene-
ficio aquæ elementaris, tanquam terrestris in Sa-
cramento hoc materiæ, coelesti unitæ, à pecca-
torum cordibus mundentur; non ut non sint,
sed ut non imputentur. Quod omnipotentiæ
& gratiæ divinæ miraculum, cùm reliqua omnia,

A 2

in

(7) Hom. 35. in Joh.

in elemento aquæ conspicua, multis antecedat
parasangis, in Dissertatione isthac expendere
animus est. DEUS autem Ter Optimus Ter
Maximus, de Flumine hoc SS. dicturos, suo im-
plete Flamme, quo de Themate hoc arduo, ex
limpidissimis Itraëlis fontibus, ita agamus, ut
sicut ex omnibus hominum actionibus,
ita & hinc emergat

SOLI DEO GLORIA.



CAPUT I.

DE

MATERIA BAPTISMI
IN GENERE.

Θέσις.

Materia Baptismi gemina est, alia ter-
rena, seu externa, & visibilis, alia
coelestis, seu interna, & invisibilis.

Ἐπιθεσίς.

i. T erminum Materiæ in præsentiarum non sumimus
objectivè, pro materia circa quam, quæ dicitur
Objectum; nec subjectivè, pro Materiâ in quâ, quæ
subje-

subjectum inhærentiæ salutatur: sed constitutivè, pro materiâ ex quâ.

2. Neque vocem Materiæ in hoc, quem diximus, sensu positam, ad rigorem examinari Philosophicum volumus; quia uti accuratè celeberrimus Argentoratensis Theologus B. Dannhauerus (1) monet, *non per omnia hic querere possumus, quid ad materiam strictè sic dictam in tanto mysterio pertineat, sed terminis tantum utimur receptis, ut eo facilius intelligamus.*

3. Nomine Baptismi in præsenti negotio non venit nobis Baptismus impropiè acceptus, quatenus vox hæc denotat vel baptismum sanguinis, hoc est, crucem, calamitatem, martyrium, uti accipitur Matth. XX, 22. Marci X, 38. Luc. XII, 50. vel Baptismum Flaminis, hoc est, donorum Spiritus Sancti effusionem, ut reperitur Matth. III, 12. Marc. I, 8. Luc. III, 16. Act. I, 5. II, 16. vel Baptismum Itineris per mare & nubem, in quâ significatione Paulus voce hac utitur I. Cor. X, 2. vel Baptismum Luminis, hoc est, Informationem in fidei doctrinâ Matth. XII, 25. Marc. IX, 30. Act. XVIII, 25: sed quatenus vox hæc accipitur propriè, de hominis in nomine Patris, Filii & Spiritus S. factâ seu immersione, seu adspersione, in remissionem peccatorum.

4. In significatione hac propriâ acceptus Baptismus, geminâ constat materiâ, alia terrenâ & externâ, aliâ cœlesti & internâ. *Quia enim DEUS non cum externo duntaxat, sed interno etiam homine, in Sacramento hoc agere voluit, ideo duas etiam partes Baptismi, geminæ hominis considerationi convenientes constituit, quarum cœle-*

A 3

ſtis

(1) Mysteriosoph. Sect. I. Art. 4. §. 35. p. 130.

stis circa interni homini fidem; terrena circa externi hominis sensus versaretur; quæ verba sunt B. Hutteri. (2)

5. Materia externa, visibilis & terrena, eō divinitus est ordinata; ut *cum percepit Vocationem DEI*, ut loquitur Irenæus, (3) hoc est, *cum ab usu communi separata, & ad usum Sacramentalem destinata fuerit, ὥχνα sit, seu vehiculum rei cœlestis offerendæ & applicandæ.* Si enim incorporeus esses, nuda & incorporea tibi DEUS dedisset dona; sed quoniam anima corpori conserta est, invisibilibus intelligibilia tibi præbet, uti scribit pulcherrimè D. Chrysostomus, citante Balduino. (4)

6. Materia igitur invisibilis, interna & cœlestis, per terrenam & visibilem, ceu præscriptum à Deo ὥχνα & vehiculum, exhibetur & applicatur.

κατάθεσις.

1. Cùm de existentiâ Materiæ terrestris in Baptismo dubium nullum sit, de cœlestis autem materiæ existentiâ controvertatur, hanc potissimum sequentibus probamus rationibus.

2. Primo, ex communi omnium Sacramentorum naturâ, quæ requirit, ut ad elementum accedat verbum, idque (α) instituti, per quod certus ritus à materiâ & formâ suâ determinatur: (β) mandati, per quod ritui huic additur practica & executiva ejus obligatio: (γ) promissi, quod determinat bonum spirituale, sub illo ritu contentum, & utentibus communicandum. Conf. B. Hülsemannus. (5) Sicut itaque Sacraenta V. T. su-

am

(2) LL. CC. p. 598. (3) L. IV. c. 34. (4) in Artic. Smalcald. Disp. XV §. 34. p. 354. (5) Praelect. in F. C. in Opere postumo p. 466.

am non modò terrenam, sed & coelestem habuere materiam, quæ in Circumcisione & Agno Paschali fuit Christus; sicut etiam in S. Coenà, materia coelestis est corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi: ita & Baptismus, tanquam primum N. T. Sacramentum, coelesti suâ materiâ non destituitur.

3. Secundò, ex Joh. III, 5. ubi Salvator noster ait: *Nisi quis renatus fuerit, ex aquâ & Spiritu &c.* Agere locum hunc de Baptismo aquæ, probabitur in Cap. II. Dissertationis nostræ. Sicuti igitur particula E X, rem terrenam Baptismi denotat, sc. aquam; ita eadem numero particula, quando ad spiritum refertur, denotat quoque materiam coelestem.

4. Tertiò, ex Eph. V, 26. ubi Apostolus dicit, *mundari nos lavacro aquæ in verbo.* Ubi utraque Baptismi materia ponitur, terrestris sc. aqua, eaque non nuda, sed in verbo, hoc est, coelesti materiae unita.

5. Quartò à fine & effectu Baptismi, qui est salvifica Regenerationis & Renovationis gratia. Hæc, si Baptismus careret materiâ coelesti, dependeret à solâ aquâ. Cùm autem elemento aquæ soli, gratia regenerationis citra impietatem adscribi non posset, nullus planè foret Baptismi effectus.

6. Quintò, ex verbi *ἀνεστε* seu audibilis & *οράτις*, seu visibilis convenientiâ. Sicut enim verbum audibile non constat solo vocis sono, sed Spiritui S. unitum sit oportet, siquidem per illud effectus spirituales produci debeant; ita etiam verbum visibile, nempe Sacramenta & in specie Baptismus, si vim edere divinam debit, necessum est, ut non externum duntaxat habeat elementum, sed ut huic unita sit Sacramentaliter materia.

ria cœlestis, cuius vi cœlestia produci *ένεγκαλέ* possint.
Conf. Magnus noster Calovius B. M. (6)

7. Sexto, ex analogia, quia, ut in homine corpus & anima concurrit ad ejus constitutionem, & inter ea datur Unio naturalis; ita divinæ placuit Sapientiæ, materiæ Baptismi terrenæ, conjungere cœlestem, Unione Sacramentali, ita ut materia terrena sub respectu ad hominem magis referatur ad corpus ejus, & materia cœlestis magis ad animam.

8. Septimo, ex testimoniiis Doctorum, tam antiquæ Ecclesiæ, quam recentioris. Ex antiquis Ecclesiæ lumenibus, audiamus brevitatis studio unicum Damascenum, Baptismi Materiam Cœlestem his adstruentem verbis: (7)
Quemadmodum DEUS conjunxit aquæ gratiam Spiritus S. & fecit illud lavacrum regenerationis; eodem modo, quia mos est hominibus, manducare panem & vinum bibere, conjunxit his ipsis divinitatem & gratiam suam & fecit haec corpus & sanguinem suum.

9. Eandem sententiam ab Orthodoxâ antiquitate acceptam retinuit, & masculè semper propugnavit Theander noster Lutherus. Verba ejus sole clarius meridiano id ipsum demonstrant: (8) *Quare iterum atq[ue] iterum repetens moneo, ne haec duo, verbum & aquam, ullo modo disjungi atq[ue] divelli patiamur. Separato enim inde verbo, non alia est aqua atq[ue] illa, quæ in culinâ ad elixandas carnes, culinæ prefecta utitur &c. Caterum conjunctio verbo, sicut Christus ordinavit & instituit, Sacramentum est & Christi Baptismus. Et alibi (9) sic loquitur: Solches alles (egerat autem de effectibus Baptismi) bringt uns die*

(6) T. IX. Syst. p. 177. (7) L. IV. Orthod. Fid. c. 14.
(8) in Catech. Maj. p. 539. (9) T. V. Jen. Germ. f. 292, 2.

die Taufe nicht daher/ daß es Wasser ist / sondern daß
Gottes Nahe/ und Kraft darinnen ist / welcher also
geordnet hat / daß es sol ein Himmelisch Göttlich Wasser
seyn / und wir solches durch Mittel dieser beyde / Wasser
und Wort geben.

10. Lutherum unanimi consensu secuti sunt & se-
quuntur adhuc hodie Theologi nostrates. Fidelissimus
quondam Lutheri Parastata Chemnitius, quem aliquot
dissentientes pro se adducere solent, hunc in modum
mentem suam explicat : (10) *Virtus & efficacia Baptis-
mi nequam tribuenda est vel elemento aquae, vel externa
ministri actioni; sed quia Baptismus est talis actio, in qua per
lavacrum aquae in verbo, DEUS Pater, propter Filium Medi-
atorem, applicatione & obsignatione promissionis gratiae nos sal-
vat, Filius sanctificat & mundat, Spiritus S. regenerat &c.*

11. Idem sentiunt B. Hutterus, (11) Gerhardus, (12)
Æg. Hunnius, (13) & magnus magni hujus Parentis Fi-
lius Nicolaus, (14) Mylius, (15) Mentzerus, (16)
Balduinus, (17) Forsterus, (18.) Feurbornius, (19.)
Theologi Gießenses, (20) Rungius, (21) Himmelius, (22)
Myslenta, (23) Cundisius, (24) Hülsemannus, (25.)

B Fin-

- (10) LL. CC. P. III. L. de Bapt. p. 148. (11) LL. CC. p. 597.
(12) LL. CC. T. IV. L. de Sacram. §. 11. p. 402. & L. de Bapt. §.
79. (13) T. I. Opp. p. 1020. (14) Epit. Cred. p. 379. &
404. (15) Disp. Theol. Disp. X. f. 145. §. 22. (16) T. I. Opp.
p. 146. & T. II. p. 823. (17) Artic. Visit. Disp. IIX. Th. 29.
(18) Disp. X. Th. 62. p. 748. (19) Syntagm. Dissert. P. 1 I.
Diff. VII. §. 15. p. 174. (20) Dispp. T. V. p. 313. (21) Dispp.
privat. p. 123. (22) Syntagm. Disp. XXII. Th. 51. (23) Corp.
Doctr. Prut. Disp. XII. (24) Nott. ad Compend. Hutteri L.
XIX. Quæst. VI. p. 1032. (25) Praelect. in. F. C. in Opere po-
stumo p. 464.

Finckius, (26) Röberus, (27) Dannhauerus, (28) Belbelius, (29) Brochmandus, (30) Affelmannus, (31) Kromayerus, (32) Carpzovius, (33) Waltherus, (34) Balth. Meisnerus, (35) Calovius, (36) Schertzerus, (37) Qvenstedt, (38) & Theologorum hodie facile Princeps, Dominus D. Sebastianus Schmidius, (39) aliquie.

ἀντίθεσις.

Est quidam Vir magni nominis vñ c̄r ἀντίθεσις (40) qui negat dari materiam in Baptismo cœlestem. Argumenta ejus probantia fusè adduxit & solidè discussit incomparabilis quondam Wittebergensium Theologus, B. Calovius (41) & ex eo Auctor Dissensūs Theologorum Jenensium (42) quorsum Lectorem benevolum ablegamus.

CAPUT

- (26) Tract. de Baptism. p. 24. (27) Coll. Theol. Disp. XV. Th. 5. (28) Mysteriol. p. 133. (29) Antiquitt. Eccles. Sec. III. p. 759. (30) Syst. Theol. Art. de Sacram. Sect. 3. p. 139. (31) Synt. P. I. p. 777. (32) Theol. Positivo-Pol. P. II. p. 324. (33) Iag. in Libb. Symb. p. 1083. (34) Cent. Mifc. Theol. p. 200. (35) Tract. de Sacram. p. 86. (36) T. IX. Syst. p. 175. (37) Syst. p. 361. (38) P. IV. Syst. p. 109. (39) Aphor. Theol. p. 221. (40) Ausführl. Erklär. der Jenischen Theologen L. 17. p. 680. (41) Syst. Th. T. IX. p. 169. — 219. (42) num. 99.

CAPUT II
DE
MATERIA BAPTISMII TERRE-
NA SEU EXTERNA.
Sextus.

Materia Baptismi Terrena, Visibilis
seu Externa est Aqua, eaque sola,
naturalis, & pura, in quacunque vel
Qualitate vel Quantitate.

Enthousias.

1. Placuit Divinæ, quæ in minimis maximam se exseruit, omnipotentia & misericordia, loco materiæ terrenæ in SS. Baptismi Sacramento, constituere non pretiosi quicquam, cuius possessionem homines magno labore & ære acquirere sibi cogerentur, sed rem planè vilem, & in multorum oculis abjectam, ut in tanti Mysteriū usum elevarerur.

2. Causas divini hujus instituti sicut mirari decet, ita rimari quoque debitâ modestiâ paulò accuratius, præente nobis ipso Spiritu S. ejusque ministris, non erit prohibitum.

3. Factum autem illud procul dubio fuit, primò propter vaticiniorum V. T. & typorum veritatem: quorū pertinet aqua diluvii Gen. VI, 7. I. Pet. III, 20. aqua maris rubri Exod. XV, 15. I. Cor. X, 2. la-

B 2 brum



brum inter tabernaculum & altare Exod. XL, 30. aqua expiationis Num. XIX, 9. & vaticinia Es. XII, 3. XLIV, 3. Ezech. XVI, 9. XXXVI, 37. XLVII, 1. Joël III, 18. Mich. VII, 29. Zach. XIII, 1.

4. Secunda instituti hujus causa fuit, summa Baptismi necesitas. Propter hanc voluit adhibere Sapientia divina elementum ἐντέξεσθαι, cuius copia in omnibus locis daretur, ne quo indigentiae prætextu, excusare se homines, aut propter defectum, periculum incurere salutis possent.

5. Tertiam instituti hujus causam ponimus aquæ naturalis proprietates varias, quæ pulchrè ad baptismum applicari queunt. Sicuti enim aqua fortes corporis abluit: ita & per Baptismum, ab omni peccato spiritualiter purgatos nos & innovatos credamus, ut quod incorporale est, invisibiliter abluitur, prout pulcherrimè ait Ambrosius. (1) Aquæ humum fœcundat & rigat, ut fructus suos proferre queat; ita per aquam Baptismi, datus Spiritus S. qui nos ad omne opus bonum reddit frugiferos. Aqua refrigerat; sic Baptismus prestat refrigerium contra concupiscentie ardorem, uti loquitur Hieronymus. (2) Aqua vim extingvendi ignem habet; per Baptismum extingvitur ignis infernalis Marc. XVI, 16. Aqua submergit; ita Baptismus omnem Diaboli & carnis peccatricis potestatem absorbet: de quibus videatur fusius Gerhardus. (3)

6. Quarta ratio est Spiritus S. aquis in primâ Creatione incubantis majestas, ut quemadmodum ille tum aquis incubans, easdem reddebat frugiferas Gen. I, 3. ita

(1) in cap. VI. Epist. ad Rom. (2) Epist. 83. ad Ocean. (3) Loc. de Bapt. §. 75.

ad regenerationem, ceu secundam Creationem, aqua adhibetur, tanquam medium virtute spiritus S. efficacissimum; quæ ratio est Damasceni. (4)

7. Quia verò ordinata est instituto divino aqua, excluditur alia materia, quounque etiam nomine veniat. Christi enim Baptismus est lavacrum aquæ in verbo. *Tolle aquam, & non erit Baptismus, tolle verbum, & non erit Baptismus*, ait Augustinus. (5)

8. Unde rectè fecit Dionysius Corinthius, qui Juðæum Catechumenum, in itinere per Arabiam desertam, propter mortis imminentis periculum, à comitibus defectu aquæ arenâ ter injectâ baptizatum, cùm reconvalesceret, aquâ naturali baptizandum esse censuit, testibus Nicephoro (6) & Baronio. (7)

9. Qui casus, si adhuc eveniat, ut adultus, fide Christianâ jam imbutus, non autem baptizatus, magnum Sacramenti accipiendi haberet desiderium, aquæ autem naturalis & elementaris copia non sit, neutiquam lacte, vino, vel alio liquore, baptizari debet, sed erudi potius & informari, quod in humanis neutiquam situm sit viribus, institutionem divinam mutare, & loco aquæ alio liquore uti, cùm hac ratione Baptismus non divinus, sed Deo exsus foret. Certior quoque idem ille reddatur, quod defectus Baptismi in ejusmodi casu, saluti ejus nihil quicquam nociturus sit; quandoquidem non ex contemptu, sed legitimi & à Deo instituti medii defectu, Baptismo careat: ut proinde canon Theologicus locum inveniat: *Non privatio, sed contemptus; non defec-*

B 3

defec-

(4) L. II. Orthod. fid. c. 9. (5) Tract. 15. in Joh. (6) L. III. c. 37. (7) ad A. C. 181. n. 1.

defectus, sed despectus damnat. Conf. Theologi Darmstati.

tini. (8)

10. Similiter infantes, si mortis incurvant periculum, & aquæ elementaris copia non sit, commendandi sunt piis precibus Deo, non autem defectu aquæ alio liquore baptizandi. Si enim infans aliâ præter aquam materiâ adsperrgatur, non administratur, sed profanatur Baptismus; ideoque omnes hoc modo adspersi, quia baptizati nondum sunt, si superstites maneant, baptizandi erunt aquâ, quæ sola externum Baptismi elementum ex Christi institutione est. Conf. B. Finckius (9) & Feurbornius. (10)

11. Imò, si ejusmodi eveniat casus, ut minister verbi, ad baptisandum infantem, cum morte periclitantem, accersatur, æditius autem præ nimia festinatione, vinum aliumve liquorem, aquæ loco, ignorans porrigat, minister etiam infantem liquore allato inscius baptizer, & peracto demum Baptismo rem ipsam deprehendat, Baptismus ille, quia non legitimâ, & à Deo institutâ materiâ fuisset peractus, foret irritus, & naturali aquâ iterandus, judicio Theologorum Darmstatinorum l. c.

12. Per vocem aquæ naturalis, excluditur omnis aqua factitia, artificiosa, aut medicata, qualis est rosa-cea, & aliæ hujusmodi, quippe quæ æquivocè tantum aquæ sunt, non autem naturales, & elementares, ideoque nec in Baptismi Sacramento adhiberi possunt.

13. Puram etiam requirimus aquam, non quidem puritate exactâ, cui nihil alieni elementi adhæreat: talis

(8) Gründl. Ausführung wider die Casselsche Wechsel-Schriften P. I, p. 433. (9) Quæst. illustr. n. 141. p. 928. (10) Synt. P. II. Diff. VII. p. 175.

lis enim in mente] potius per abstractionem concipitur, quam ut exhiberi possit; sed quæ cum nullo alio liquore, dedita operâ misceatur, exempli gratiâ, cum chrismate aut sputo, vel quæ cerei immersione, aut exsufflationibus inquinetur. Impuritas talis non quidem irritum reddit Baptismum collatum; interea cavendum ab eâ est, circa Baptismum conferendum.

14. Quantumvis verd institutio Divina ad aquam nos, eamque, uti diximus, solam, naturalem, & puram alligaverit, non tamen certam aquæ qualitatem ulibi præscripsit, sed liberam potius eam nobis reliquit.

15. Proinde nihil planè interest, sive aqua sit frigida, sive ob frigoris vehementiam, in hyeme adhibetur calida, vel etiam qualis in thermis datur: Naturæ enim hujus aquæ, nulla vis illata est. Nihil etiam interest, sive illa sit pluvialis, sive rorulenta, sive ex stagno, sive mari hausta.

16. Non tamen aquam congelatam, quamdiu glacies, nix, vel pruina manet, huc referri volumus. Hæc enim à Baptismi usu arcetur, non ob defectum substantiæ requisitæ; sed propter immutatam speciem, ut accuratè distingvit B. Dominus D. Strauchius.(11) Nobis igitur sermo est de aquâ, non congelatâ, sed liquidâ & fluidâ, quamvis nullum qualitatis discrimin observandum esse dicamus.

17. Ex iis, quæ dicta sunt, patet, non laudari in Imperatore alias laude dignissimo, Constantino M., quod ipse ex *superstitione quâdam*, uti censet B. Hutterus,(12) in Jordane fluvio, ubi Servator esset baptisatus, voluerit baptisari, & idè ad finem usque vitæ, annum

vide-

(11) in Notis MSS, ad definition. 166. (12) in LL. CG. p. 635.

videlicet ætatis sexagesimum quintum, Baptissimum suum distulerit, quem tamen non ex voto suo, in Jordane, propter morbi vehementiam, ex singulari Dei dispositione, accipere potuit, testibus Eusebio (13), Theodoreto (14), Evagrio (15): Quoniam nulla est distinctio, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur; nihil quicquam refert; inter eos, quos Johannes in Jordane, & Petrus in Tyberi tinxit; quemadmodum benè pronunciat Tertullianus (16), cui adstipulatur Arnobius (17): *Unum, inquiens, Baptisma, in aquis potest celebrari omnibus, fluminum, maris, torrentium, stagnorum.*

18. Quemadmodum autem qualitatem aquæ, in Sacramento hoc, attendere opus non est; ita nec quantitas elementi, quicquam vel addit, vel demit valori & efficacia Baptismi.

κατάθεσις.

1. Ut singula, quæ probatione opus habent, ordine percurramus, prima & præcipua pars theseos est, *Materiam Baptismi terrenam esse aquam.* Probabamus id primò, exemplo Johannis Baptiste, qui primus Sacramentum hoc administravit, sed non nisi aquâ, ut ex propriâ ejus confessione patet: *Ego baptizo aquâ* Matt. III, 11, Marc. I, 8, Luc. III, 16. Joh. I, 26. Act. I, 5. II, 16. Joh. III, 23.

2. Secundò ex continuâ Apostolorum praxi, quippe qui tam ante, quam post Christi passionem, non nisi aquâ baptizarunt. Conf. Act. VIII, 36, X, 47.

3. Ter-

(13) L. 4. de Vitâ Constantini M. C. 61. (14) L. i. Hist. Eccl. C. 31. (15) L. 3. Hist. Eccl. C. 41. (16) L. de Bapt. C. I. & 12. (17) in Psalmum 74.

3. Tertiò ex clarissimis æternæ veritatis verbis, ubi Christus dicit Joh. III, 5. ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ &c.* Quæ verba, et si evidentissimè materiam Baptismi designent, spiritus tamen Calvinianus nefariè corrumpere, & ad sensum planè alium detorquere ausus est.

4. Calvinus ipse (18) & cum eo Piscator Herborn. locum hunc non de aquâ naturali, sed spirituali h. e. interiore spiritus vegetatione & operatione explicant. Polanus, (19) cùm videat inanem & absurdam inde sequitavtologiam, quia idem esset, ac si Salvator diceret: *Nisi quis renatus fuerit ex spiritu & spiritu;* fingit particulam & non esse h. l. conjunctivam, sed exegeticam, ut ex aquâ & Spiritu, idem sit, quâm, ex aquâ i. e. ex Spiritu.

5. Hugo Grotius (20) & Gerhardus Joannis Vossius, (21) lumina illa & numina mundi, quibus nil, nisi canonizatio Pontificalis deest, judice B. Dannhauero, (22) per ev. 24. dñi explicant, ut sensus verborum Christi sit: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu,* hoc est, Spiritu aquo, quo ipso Spiritus emundans significari debet: id quod ex loco parallelo Match. III, 11. illustrant, ubi in Spiritu & igne idem debet esse, ac, per Spiritum igneum.

6. Sic non explicatur, sed pervertitur Scriptura. Veram enim aquam, non spiritum intelligi, ex Disputationis occasione elucet. Res erat Salvatori, cum homine Pharisæo, aquæ Baptismum, cum sociis suis ridente, quasi is hominem regenerare non posset, Luc. VII, 30.

C Huic

(18) T. IX. Opp. L. IV. Instit. c. 16. Sect. 25, & T. VI. Opp. Comm. in h. l. (19) L. I. Synt. Theol. c. 45. (20) Comm. in h. l. (21) Tract. de Bapt. (22) Hagiolog. Fest. p. 1031.

Huic Thesin suam opponit Salvator, dicens : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ &c.* Hominem enim ex Spiritu Dei renasci, nec in quæstione erat, nec à Nicodemo negatum fuisset. Regenerationem autem non solum ex Spiritu, sed simul ex aquâ fieri, hoc erat, quod Nicodemus ignorabat, & à Christo docebatur.

7. Ad figuram *ἐν ἀρχῇ ὅλῳ* quod attinet, locum ea hîc nullum reperit. Quid enim Spiritus aqueus? quid Spiritus igneus denotare debet? Spiritus S. nullibi hunc in modum loquitur: Et quænam illa Spiritus S. erit distinctione, quod sit vel efficax, vel mundans? Nonne Spiritus purificans, eo ipso, quia efficax est, efficacem in purificatione se exhibet?

8. Locus Matt. III, 11. Calvinianos nihil juvat. Ut enim ibi Spiritus & ignis non est ignis spiritualis, sed verus ignis, quo Spiritus S. Apostolos in primâ Pentecoste ungebatur: ita hîc aqua & Spiritus, aquam Spiritui sacramentaliter unitam notat. Plura de vindicatione loci hujus qui legere cupit, adeat B. Dannhauerum (23) Affelmannum (24) Calovium (25) Schertzerum (26) & alios.

9. Quartò, probamus ex nominibus, quibus insinuitur Baptismus. Sic Eph. V, 26. vocatur *lavacrum aquæ*, & Tit. III, 5. *lavacrum regenerationis*.

10. Quintò, ex significatione propriâ *Ἐβαπτίζειν*, quippe quod in nativo sensu notat aquæ immergere, vel eadem adspargere; quemadmodum & L X X. Interpretes usurparunt. 2. Reg. V, 4. Es. XXI, 4.

11. Sex-

(23) Mysterios. p. 348. & Laft. Catech. P. VIII. p. 662.

(24) Synt. P. I. p. 778. (25) Bibl. ill. N. T. T. I. p. 693.

(26) System. p. 359.

11. Sextò, ex typis V. T. quales fuere diluvium Gen. IX, 7. transitus Israelitarum per mare rubrum Exod. XV, 15. lotiones Leviticæ, Lev. XV, aqua expiationis Num. XIX, septena Naamanis in Jordane ablutione 2. Reg. V, 4. quibus accedunt vaticinia Ezech. XVI, 9. XXXVI, 26. Mich. VII, 19. Zach. XIII, 1.

12. Septimò, exemplo Salvatoris, in Jordane à Iohanne aquis fluvii ejusdem baptizati Matt. III, 16. qui hoc suo Baptismo, non Jordanis solum, sed omnes aquas ad salutarem Baptismi usum, consecravit.

13. Octavò, ex sangvine & aquâ, è latere pendentis in cruce Salvatoris fluente. Quo miraculo, duo N. T. Sacramenta, videlicet per Sangvinem S. Coena, per aquam Baptismus fuere indicata, per que Christo colligitur Ecclesia; sicut, ex latere Adami dormientis, facta est Eva, uti loquitur B. noster Gerhardus. (27)

14. Nonò, ex I. Joh. V, 8. ubi tres in terris testes commemorantur, nempe Spiritus, per quem verbum Dei intelligitur, Aqua, per quam Sacramentum Baptismi denotatur, & Sangvis, quo S. Coena indigitatur, uti præ aliis fusiis hoc deduxit, incomparabilis quondam Theologus B. Dorschæus. (28)

15. Quibus denique accedit praxis Ecclesiæ Orthodoxæ antiquæ continua, de quâ loquuntur testimonia Patrum, & inter ea in primis, ut reliqua brevitatis causâ omittamus, Augustini (29) & Ambrosii (30)

C 2

16.Al-

(27) T. IV. LL. p. 884. (28) Dissert. pecul. super hoc dictum. (29) Tract. 15. & 80. in Joh. it. L. de catechisandis rudibus c. 30. (30) L. I. de initiandis c. 4.

16. Altera pars theses est, *aquam, salvâ manente Baptismi substantiâ, cum alio quocunq; diversâ speciei liquore, etiam in summo necessitatis casu, permutari non posse*; id quod probamus sequentem in modum.

17. Primò, quia, prout hactenus ostendimus, aqua est baptismi pars essentialis. In hoc autem sensu, essentiale illud dicitur, quod ita ad constituendam rei essentiam requiritur, ut si forma ejus aboleatur, mox ipsa etiam corruat & mutetur essentia illius rei, quam constituit.

18. Secundò, quia Unio Sacramentalis rei terrenæ cum re cœlesti, ipseque etiam effectus Baptismi, unicè dependet ex verbo promissionis, in ipsâ institutione expresso. Quodsi igitur substitueremus aliam materiam, Unio fingeretur cum tali elemento fieri, de quo verbum promissionis nihil quicquam definit, à quo etiam effectus frustrâ exspectaretur.

19. Tertia pars Theseos est, *aquâ purâ baptizandum esse*. Quod probamus ex Hebr. X, 22. ubi Apostolus dicit: *Accedamus abluti corpus aquâ mundâ*. Quibus verbis Paulus non modò cœlestem mutandi vim, quam habet Baptismus, sed munditiem quoque & puritatem aquæ naturalis, quam ea habere debet, respicit; uti Theologus, de universâ Christi Ecclesiâ incomparabiliter meritus, & adhuc (concedat Deus quâm diutissime!) merens, Dominus D. Sebast. Schmidius, mentem Apostoli explicat, ita scribens: (31) *Baptismus hic dicitur aqua mundâ ob spiritualem & divinam ablendi virtutem*.

(31) Comm. in Ep. Hebr. p. 1155.

tem. Indicatur etiam simul, quod in Sacramento, aqua naturaliter munda, adhibenda sit. Hoc namque requirit, analogia elementi cum re divinâ.

ἀντίθεσις.

1. **E**st ea primò omnium illorum, qui aquam, tanquam materiam terrenam, in Sacramento hoc institutam, aliâ quacunque materiâ permutant, aut saltem, in casu necessitatis, permutari posse statuunt.

2. Huc pertinent, ex antiquis Hæreticis, Seleuciani & Hermiani, qui circa annum 380. non aquâ, sed igne baptizandum esse existimabant; quam suam sententiam defendere conati fuere ex Matth. III, 11. .Luc. III, 16. *Baptizabit vos spiritu & igne.* In cuius loci interpretatione, committitur ignoratio Elenchi: Vocabulo enim ignis, non notatur ibi Baptismus Sacramentalis seu fluminis; sed miraculosa Spiritus S. effusio, seu Baptismus Flaminis, qui Metaphoricè Baptismus dicitur. Conf. de Hæreticis hisce Augustinus (32) & Philastrius. (33)

3. Quibus annumerandi Jacobitæ, qui secundum Gerhardum (34) & Schertzerum, (35) aquæ Baptismatis loco, ferro candente crucis figuram frontibus imprimebant. Vid. de iis Bernh. Lutzenburgus. (36) Quem modum hodie etiam observare scribuntur Æthiopes quidam, Abyssini dicti, eo tantum excepto, quod pro signo crucis characterem instar stellæ cujusdam, formare prohibeantur, teste Gerhardo l. c.

C 3

4. His

(32) de Hæres c. 59. (33) de Hæres. cap. de Seleucianis. (34) LL. CC. T. IV. L. de Bapt. §. 70. p. 886. (35) Synt. p. 316. (36) Catalog. hæret. L. II, lit. I.

4. His adjungendi veniunt Pauliciani , qui , pro elemento aquæ , substituerunt verba Salvatoris : *Ego sum aqua viva* Joh. IV, 14. testibus Euthymio (37) apud Bellarminum (38) & Gerhardo l. c. à quibus non multum discrepant Manichæi , qui aquam ad Baptismum idè adhibere solebant , quòd eam à malo DEO conditam opinarentur : de quibus conferri potest Augustinus apud Gerhardum l. c.

5. Referendi etiam huc sunt Flagellantes , qui referente Gerhardo & Schertzero l. c. ex Trithemii Chronico , non aquâ , sed sangvine suo , eoque flagellis excusso , baptizandum esse dicebant . Quibus accensendi sectatores Marci hæretici , qui non aquam , sed liquorem ex aquâ & oleo mistum , capitibus baptizandorum infundebant , postea opobalsamo inungebant , teste Gerhardo l. c.

6. Temporibus paulò recentioribus , *infelix Sacramentariorum Coryphaeus* , uti loquitur B. Mylius (39) Theodorus Beza , aquam in Baptismo alio permutari liquore posse , urgente necessitatis casu , existimavit . Verba ejus hæc sunt : (40) *Desit aqua , & tamen Baptismus alicujus differri cum adificatione non poscit , ego certè quovis alio liquore , non minus rite , quam aquâ , baptisarim . Et alibi :* (41) *Hic autem primum illud sine controversia statuendum esse videtur , eum videri non posse Baptismum contempisse , cui sit aliunde imposita necessitas , omnem Baptismi usum prorsus impediens . Ut si morte quispiam præveniatur , aquâ , vel eo , quod aquæ vicem præstare poscit , destituatur .*

7. Quam

(37) Panopl. P. II. Tit. 21. (38) T. III. Disp. L. I. de Bapt. c. 2. p. 360. (39) Disp. Theol. f. 144. (40) Volum. III. Epist. 2. ad Thom. Tilium. (41) P. II. Respons. ad acta Colloqui Montisbelgard p. 137.

7. Quam Bezzæ sententiam, ex Calvinianorum numero, amplectuntur Conradus Vorstius (42) & Joh. Heinr Alstedius, (43) qui expressè scribit: *Siqua necessitas obiceretur, ita etiam, ut aqua vulgaris & usualis deesset, alius liquor, qui tamen sit aqua, ut aqua ex herbis stillatitia, vinum, vel simile quid, quod sustinere posset rationem Symboli, purificationem declarantis & obsignantis, adhiberi potest.*

8. Alii ex eorum numero, licet hanc Bezzæ sententiam suam non faciant, sed expressè fateantur, hanc tantum privatam, non Ecclesiæ suæ totius esse opinionem, uti facit Sadeel (44), Massonius (45), Rivetus (46), & Altingius (47): defendere tamen & excusare eam, quia Bezam agnoscit auctorem, quam maximè allabrant, idque sequentibus in primis rationibus.

9. Primam petunt, ex dispensatione, in causâ Baptismi ministeriali, quando concedimus, ut loco Ministerii Ecclesiæ ordinarii in casu necessitatis baptizet Laicus, imò & mulier: ex quo colligunt, etiam in causâ materiali simile quid licere, nempe ut loco aquæ adhibeatur alijs liquor.

10. Respondemus, disparem planè rationem esse, quia magnum discri men inter causam Ministerialem & Materialem hujus Sacramenti obvenit. Ministri enim baptizantis qualitas, non est essentialis Baptismi pars; cum causa efficiens, præsertim ministerialis, rei essentiam

(42) Anti-Bellar. Contract. de Bapt. p. 367. (43) Theol. Pol. P. V. Controv. II. p. 594. (44) Reponi, ad Aruc. Burdegal. Artic. XII. p. 429. (45) Anatom. univ. P. IV. c. 12. p. 131. (46) T. III. Opp. p. 307. (47) Theol. Elencht. Loc. XIV. p. 545.

tiam non ingrediatur: Aqua autem est pars Baptismi essentialis. Hinc in casu necessitatis , alius quidem , quām Ecclesiæ Minister , poterit baptizare; nequaquam verò alius liquor , quām aqua , adhiberi: siquidem illud non contra expressam DEI institutionem est, uti quidem hoc.

11. Secundam rationem desumunt, ex superstitiosis Pontificiorum ceremoniis, in administrando Baptismo , cui non aquam tantùm , sed & oleum adhibent. Ex quo concludunt, quemadmodum Pontificiorum Baptismus à nobis non pronuncietur irritus: ita nec illum Baptismum, in quo , aquæ loco , adhibetur alius liquor, irritum esse pronunciandum.

12. Respondemus, si oleum apud Pontificios aquæ in tantâ affunderetur copiâ , ut substantiam ejus corrumperet, omnino etiam hujusmodi Baptismum rejiciendum fore; sed cùm guttulæ tantùm aliquot, aquæ baptisinali innatantes, adspergantur, improbamus quidem id, quod adversarii faciunt; non tamen hoc ipso, aquæ essentiam mutari agnoscimus. Accedit & istud, quodd ex Pontificiis acerrimi, communiter doceant, hoc ipsum non esse de necessitate Baptismi; sed pertinere tantùm ad quandam ejus solennitatem, uti videre est, ex ipso Bellarmino. (48)

13. Tertium argumentum desumunt, ex proprietatis aquæ, quas in cerevisiâ , lacte , vino , aliisque hujusmodi liquoribus reperi contendunt , quippe qui pelucidi, humidi & fluidi sint, imò lotioni quoque inferiant: unde eos in defectu aquæ adhiberi posse colligit Massonius l. c.

14 Re-

(48) T. III. Disp. p. 361.

14. Respondemus: quantumvis liquores ejusmodi in quibusdam proprietatibus & effectibus cum aquâ convenient; substantiale tamen inter eosdem occurrit discrimen, ut alia planè vini, lactis & cerevisiæ, alia vicissim aquæ sit natura. Quæ hinc sequentur absurdæ, si omne id, quod fluidum, humidum, pellucidum est, & lotioni infervit, pro aquâ sit habendum?

15. Egregiè hoc Massonio declarârunt Theologi Darmstatini (49) sequentibus: Wenn Massonius nicht bekennen wolte / daß ein wesentlicher Unterscheid unter Wein / Milch und Wasser sey / so sollte man ihn / wenn er Wein oder Milch begehen würde / so lange mit Wasser abspeisen / bis er den wesentlichen Unterscheid erkennete und bekennete.

16. Firmat tamen argumentum suum Massonius l. c. ex Aristotele, (50) cui vinum, lac, & hujusmodi liquores εἴδη τοῦ ὕδατος, singulares aquæ species dicuntur, qui à vi caloris in vaporem resolvuntur. Addit quoque auctoritatem Empedoclis, cui vinum aqua in ligno cocta, Neben-Wasser/ Neben-Saft dicitur.

17. Respondent Theologi Darmstatini l. c. non esse in quæstione, quo sensu Aristoteles vinum, lac & alios liquores, aquæ species dixerit; sed cuius generis li- quorem Christus in Baptismo instituerit. Hic autem nihil nisi naturalem & communem aquam intellexit. Ari- stotelis auctoritatem quod concernit, non probatur eâdem id, quod probari debet: nullibi enim dicit, vinum & lac esse aquam strictè sic dictam; sed omne fluidum, in significatione laxâ speciem aquæ nominat, adeò, ut et-

D iam

(49) Gründl. Ausführung wider die Casselsche Wechsel-
Schriften P. I. p. 434. (50) L. IV. Meteor. c. 10.

iam aurum, argentum, æs, plumbum, stannum & vitrum inter species aquæ referat, quia hæc omnia liquefacta fluida sunt. Quod si igitur ex eo argumentum petere vellemus, sequeretur, in defectu aquæ, auro, vel stanno, vel plumbo Baptismum administrari posse: quod tamen absurdum.

18. Ut ad Empedoclem progrediamur, sententia ejus non est, quod vinum, eo, quo vinum est, aqua sit; sed quod vinum, antequam vinum esset, aqua fuerit; &, quod, nisi aqua esset, vinum non fieret: planè, uti loquitur Augustinus (51): *Ipse fecit vinum, eo die in nuptiis, in sex illis hydriis, quas impleri aquâ precepit, qui omni anno hoc facit in vitibus. Sicuti enim, quod misserunt ministri in hydriis, in vinum conversum est, opere Domini sic & quod nubes fundunt, in vinum convertitur, ejusdem opere Domini. Illud autem non miramur, quia omni anno fit, asiduitate amisit admirationem.*

19. Quartum argumentum petunt, ab auctoritate B. nostri Lutheri, quippe quem ejusdem cum Bezâ sententiæ esse, affirmant Massonius l. c. & Wendelinus. (52)

20. Imò Pontificii, invenisse se, non quod pueri in fabâ, existimantes, occasionem hinc arripiunt, Lutherum pro hæretico proclamandi: id quod faciunt Gregorius de Valentiâ, (53) Bellarminus, (54) Wittfeld (55) & Joh. Harduinus. (56)

21. Locus ipse Lutheri sic sese habet: (57) Es ward gefragt: Wie denn / wenn kein Wasser furhanden wäre/

(51) T. IX. Opp. Tr. 8. in Joh. (52) Exercitat. Theol. Exer-
cit. 86. p. 1374. (53) T. IV. Opp. p. 760. (54) T. III. Dispp.
Controv. c. 2. de Bapt. p. 360. (55) Theol. Catech. L. IV. p.
24. (56) Triplici de Baptismo quæstione quæst. II. p. 41.
(57) Colloq. Mensal. c. 17. f. 200. b.

wäre/ sondern nur Bier/ oder Milch/ ob man in der Noth
auch damit tauffen möchte? Da saß Er/ (sc. Lutherus)
lange in Gedanken: endlich sagte Er: das muß man
Gottes Gericht befehlen/ doch alles/ was Bad genant
kun werden/ das dient und taug auch zur Taufe.

22. Respondemus, locum hunc petitum esse ex libro, qui B. Luthero nunquam visus, lectus, nedum probatus est; sed mortuo demum eo, sine debitâ circumspectione & judicio, à diversis, qui mentem Beatissimi Viri non semper assecuti sunt, compilatus: quamobrem in controversiis fidei, testimonia ex hoc libro petita, non magnificienda sunt, nisi ex reliquis Lutheri libris etiam conster, illum in eâ sententiâ fuisse.

23. Planè autem contraria sunt ea , quæ in genuinis Lutheri Scriptis habentur : ita enim sententiam suam hac de re exponit : (58) Du sollt nicht darnach fragen / ob der / so die Tauffe reicht / fromm und gläubig sey / oder nicht. Läß ihn gleich gottlos / oder ungläubig seyn / denn was er für seine Person ist / das gehet die Tauffe nichts an / sol auch dir nicht schaden / so er nur die Einschzung Christi hält / und nimt dazu / nicht Wein / Bier / Laugen / oder ein ander Ding/ sondern Wasser / mit zugethanem Gottes Wort/ so heißtt und ist es eine heilige Tauffe. Dem hie ist alles / so zu dem Wesen der Heil. Tauffe gehöret nemlich natürlich Wasser / mit dem Wort / aus Gottes Stift und Befehl.

24. Exciunt Massonius & Wendelinus l. c. non posse nos excusare Lutherum, ex eo fundamento, quod librum istum non viderit, siquidem à Lutheranis ex ore Lutheri comportatus sit. Verba Wendelini l. c. ita se

D 2 habent;

(58) T. VIII. Jen. Germ. f. 404. a.

habent: *Colloquia hæc Lutheri sunt, à Lutheranis è sancto Lutheri ore excerpta, à Lutheranis vulgata, & commendata. Lectorem remitto ad Johannis Aurifabri prefationem, quæ utilitatem illorum & prestantiam prolixè prædicat, unde à Lutheranis quoq[ue] allegantur. Neq[ue] ullo modo verisimile est, quicquam hic ab adstantibus, vel assidentibus, afflictum esse Lutheru[m], quem tanquam Numen coluerunt, ita, ut ludicra quævis pro oraculis habuerint.*

25. Respondemus, injuriam nostris fieri; quippe, quibus in mentem nunquam venit, Lutherum tanquam Numen colere, & ludicra quævis pro Oraculis habere. Insignis Lutheri modestia nunquam hoc requisivit, quippe qui aperè & ingenuè hominem se, erroribus obnoxium, suisse agnoscit, ita scribens: (59) *In S. Augustini Büchern findet man viel Sprüche / welche Fleisch und Blut geredet hat / und ich muß auch von mir bekennen / daß ich viel Worte rede/ welche nicht Gottes Worte sind/ wenn ich rede / außerhalb dem Predigt-Ampt / daheim / über Tisch / oder sonst.*

26. Ad colloquia Lutheri mensalia, eorumque commendationem, Aurifabro auctore, quod attinet, agnoscimus cum illo, librum hunc esse utilissimum, propter multa, quæ in iis continentur; non tamen propter omnia. Quod si Lutherus eum perlegisset, procul dubio multa mutasset, aut resecuisset.

27. Accuratum sanè est judicium, quod Theologus expertissimus, B. Arnoldus Mengering, de editione hujus libri fert: (60) *Es hat der Collector sermonum viel aus Unterstand und Undiscretion aufgeschrieben und zusammen gerafft/ das Lutherus nicht also geredet und gemeinet/*

(59) Postill. Domest. f. 267. (60) Informat. Consc. p. 829.

net / und also parùm prudenter & mìnus judiciosè Lutheri judicium, von einem und dem andern Dinge assequiret und annotiret. Cum quo accuratè conveniunt, alia quoque Theologorum nostrorum, de libro hoc, judicia, quæ brevitatis causâ omitimus. Conferri autem imprimis possunt B. Gerhardus, (61) Müllerus, (62) Hutterus, (63) Tenzelius, (64) & alii.

28. Imò tam unanimis Theologorum nostrorum hac in parte est consensus, ut ipse Pistorius, licet Pontificius, nobis aliàs infensissimus, fateri cogatur, (65) abstinere se à testimoniiis ex Colloquiis Lutheri mensalibus petitis, quia Lutherani eadem, pro genuinis Lutheri Scriptis, non agnoscant.

29. Quod, si observasset Wendelinus, aliter certè de Luthero & Lutheranis judicasset, imprimis si legisset modestum Theologi, à suis æstimatissimi, Whitakeri, judicium, à quo hunc in modum Lutherus excusatur: (66) Lutherum perstringit Jesuita (sc. Bellarminus) quòd, rogatus, num, si aqua deficiat, in lacte, aut cerevisiâ, baptizare liceret, respondisse dicitur, quicquid balnei nomine nuncupari potest, illud esse aptum ad baptizandum. An hoc Lutherus dixerit, nescio: non enim vidi illum locum, quem citat Bellarminus. Sed si sc̄ Lutherus respondit, ei non assentior, nec ejus judicium, hāc in re, probo; nego id Lutherus sensit, ut opinor.

D 3

30. Nos

(61) Comment. in II. Epist. Petri p. 272. (62) Defens. Luth. def. p. 12. (63) LL. CC. p. 23. & 634. (64) Gründl. Rettung der Lütherischen Kirchen contra L. Frobenius p. 253. (65) Anatom. Luth. P. III. Azoara 3. (66) Tract. de Sacrament. p. 220.

30. Nos Bezae hac in parte (α) opponimus, expressam D'EL institutionem, ita argumentando, cum Gerhardo: (67) Quicquid non constat verbo mandati & promissionis, non est Sacramentum, vel pars Sacramenti: Atqui nullus liquor, praeter aquam solam, &c. Ergo. (β) Urgeamus & illud: Quod Christus in suo Baptismo non consecravit, id non potest esse lavacrum regenerationis; Liquores alios, praeter aquam, Christus &c. Ergo &c. (γ) Addimus periculum tentationum gravissimarum, quibus miser ejusmodi homo, alio, quam aquæ, liquore baptizatus, per totum vitæ tempus discruciarri posset: quid si enim semper haereret anxius, utrum ritè baptizatus sit, nec ne; cùm altera essentialis Baptismi pars abfuerit? (δ) Quin & Bezae committimus cum ipso Bezae, quippe qui (68) aquam in Baptismo comparat corpori humano: Si igitur, ubi non est naturale corpus, ibi nec verus esse homo potest, sequitur, ubi aqua abfuerit, nec verum esse Baptismum posse.

31. Quibus forte argumentis moti, saniores ex Reformatis, Bezae in hoc punto contradixerunt, solam in Baptismo aquam admittentes. Sic Bucanus: (69) *Materia, inquit, Baptismi est aqua, non mixta, non medicata, non facta, non stillatitia, nec aliis liquor simplex, & vulgaris, non oleum, non sanguis, non fabulum, aut aliud quodvis elementum.* Ipse Calvinus ait: (70) *Nihil hic est sanctius, nihil tutius, nihil melius, quam unius Christi auctoritate nos esse contentos.* Cui addatur Piscator, (71) Whita-

(67) T. IV. LL. CC. L. de Bapt. §. 72. (68) P. II. Respons. ad acta Colloq. Montisbelgard. p. 41. (69) Instit. Theolog. L. XLVII. p. 626. (70) T. IX. Opp. L. IV. Instit. c. 15. §. 16. (71) Volum. II. LL. L. XV. de Bapt. Th. X. p. 315.

Whitakerus, (72) Grynæus, (73) Coccejus, (74), inter quos, ultimo loco nominatus, expressè scribit: *Deficiente aqua non est substituendus alius liquor.* Prolixiorem refutationem, qui desiderat, adeat B. Grauerum. (75)

32. Relictis Calvinianis, convertimus nos ad Pontificios, ex quibus pariter nonnulli, aquam in Baptismo, alio liquore, propter castum necessitatis, mutari posse sentiunt. Gvido de Monte Rocherii, expressa hæc ponit verba: (76) *In lixivio, si aqua inveniri non posse, patet fieri Baptismus, cùm lixivium nihil sit aliud, quam aqua, colata per cineres.* Cui adstipulatur Toletus: (77) *Potest, inquit, esse Baptismus in lixivio, in brodio carnium vel piscium: potest etiam aqua esse expressa à luto, si qua exprimatur, tunc sit cum terra, similiter in aqua sulphurea.* Idem statuunt Fabius Incarnatus Theologus Neapolitanus, (78) & Gregorius de Valentia l. c.

33. Johannes de Alloza, ulterius adhuc progeditur, ita scribens: (79) *Baptismus in necessitate dandus est in dubiâ materiâ, qualis est aqua rosacea, urina, sudor.* Et paulò post: (80) *Aqua ex arboribus vel fructibus manante, posse fieri Baptismum, probabile est; quia ille succus, ut experientia docet, nihil est aliud, quam aqua, quam arbor sursum traxit, & ebibit.* A quibus non dissentunt Bonacina, (81) Busenbaum, (82) & alii.

34. Ipse

(72) Tr. de Sacram. p. 220. (73) Dispp. Theol. P. II. p. 287.
 (74) T. VI. Opp. Aphor. Th. Di'p. XXX. §. 23. p. 33. (75) Po-
 lem. S. C. IV. p. 153. (76) Manipulo Curator. de Baptism. c. 2.
 (77) L. II. de Cas. Cons. c. 18. (78) Scrutin. Sacerdot. Tr. II.
 de Bapt. (79) Alphabeto Moral. p. 31 (80) L. cit. Aphor.
 13. p. 32. (81) Compend. Moral. §. 14. p. 25. (82) Medull.
 Theol. moral. p. 616.

34. Ipse Stephanus II. Papa Romanus, Baptismum in vino, aqua loco, in casu necessitatis peractum, Decreto approbasse fertur sequenti: (83) *Si in vino quis, propterea, quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptisavit, nulla ei exinde adscribatur culpa: Infans sic permaneat in eo Baptismo. Eadem Pontifex Sircius, alio ejusdem valoris Decreto confirmasse traditur.* (84) At Jesuita Harduin (85) contrariis probat argumentis, nec Stephanum hoc sanxisse, nec Sircium confirmasse, sed otiosi homini, (verba Harduini sunt) *totum esse figmentum, qui, ut majorem fraudi sue adstrueret fidem, non solum hunc, sed plures de Baptismo confinxerit canones, aliasq; ejusdem officinae, adscriperit deinde duobus Pontificibus, quod vel ab uno sanciri nefas fuerit.*

35. Nos item hanc nostram facere nolumus: Istud interim certum, eos, qui ex Pontificiis, præsertim recentioribus, hanc sententiam defendunt, non observare fulmen Concilii sui Tridentini, his conceptum verbis: (86) *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, anathema sit.* Unde alii ex ipsis, nullum alium liquorem, præter aquam, etiam in summo necessitatis casu admittunt; ut Diana, (87) Belarminus, (88) Lombardus, (89) Harduin l. c. & alii.

36. Pon-

(83) Reperitur illud in libro, cui Titulus: *Responsa Stephani II. Papæ, quæ, cùm in Franciâ esset, in Carisiaco villâ, Britannico monasterio dedit, ad varia consulta, de quibus fuerat interrogatus A. C. DCCLIV, nunc primum edita ex codice S. Mariae Laudunensis.* Responsum est n. XI. (84) apud Harduinum Quart. tripl. de Bapt. p. 35. (85) Tr. cit. p. 45. (86) Seff. VII. de Bapt. c. 2. (87) T. I. Opp. Tr. I. de Bapt. Resol. 53. p. 35. (88) T. III. Dispp. Controv. p. 360. (89) L. IV. Dist. 3.

36. Pontificiis subjungimus detestandum quarundam muliercularum fastum, quibus non sufficit aqua naturalis, sed quæ infantes suos, vel rosaceâ, vel aliâ quâdam, ex pretiosis herbis confectâ, baptizari volunt. Gravissimè in superbiam hanc, suo jam tempore invectus est Germanizæ Elias Lucherus, in hæc erumpens: (90) Das wäre ja wol etwas/wenn ein Priester daher trete/ mit Edel- lichen Malvasier / oder Balsam / daß ein Tröpflein hun- derte Gulden kostet ic. Weil aber solcher Schmuck und Ansehen nicht da ist/ und Gott euerlich niches mehr denn eine Handvoll gemeines Wassers dazu thut / so muß er auch leiden / daß er von der Welt verachtet wird/ denn sie wil kurzumb Augen und Ohren gefüllt haben/ oder niches davon halten.

37. Incomparabilis sui temporis Chrysostomus, Geierus, in Livoniâ mulierculas tantæ fuisse superbiz commemorat, (91) ut infantes suos, non aquâ simplici, sed fastitiâ, eaque pretiosissimâ, baptisari voluerint; imò Sacerdotes, ipsarum se fastui opposentes, officio abdi- cari fecerint; quam eorum insolentiam, justissimus pec- catorum vindex, bello, fame ac peste ultus fuerit.

38. Secundò, est antithesis illorum, qui non qui- dem elementum aquæ alio permutant, aut permutari posse concedunt liquore; attamen præter institutionem Dei, addunt ei nefcio quæ superstitiosa molimina. Per- tinent huc Pontificii, qui aquam in Baptismo adhiben- dam, in Vigiliâ Paschatos & Pentecostes, certis ritibus & exorcismis priùs consecrant, quam posteà vocant Bene-

E dietam

(90) T. VI. Jen. Germ. f. 277. b. (91) Volum. Conc. Misc. p: 185.

dictam, vi præcepti, quod habet Cathecesis Romana. (92)

39. Nos ritui huic opponimus, quod Consecratio illa destituatur verbo Dei, & exemplo Johannis & Apostolorum, qui nullibi eum observasse in sacris leguntur, sed obviam quamvis aquam ad Baptismum adhibuere, quem morem orthodoxa etiam antiquitas, constanter tenuit. *Credentes enim eō Catechumenos adducebant*, ait Justinus Martyr, (93) ubi esset aqua, quā lotti regenerarentur.

40 Derogat etiam superstitionis istiusmodi consecratio, dignitati aquæ, quam qui exorcisat, is utique presupponit, ac si illa per se immunda, & à dæmons occupata esset: cùm tamen bona per se sit creatura Dei, quæ nullis indigeat exorcismis, sed per institutionem Christi Baptismo idonea redditur, ac satis consecratur, imò in ipso Christi Baptismo sanctificata fuit.

41. Tertiò, antithesis est hodiernorum Ruthenorum, qui in quantitate aquæ baptismalis, nimis sunt scrupulosi. Nam ex unâ aquâ nonnisi unum baptisari posse autumant: credentes, aquam peccato originali per ablutionem ejus infici. Unde eam baptisato infante statim effundunt, ne alias quisquam, si illo tingatur, maculam contrahat, teste Oleario. (94)

CAPUT

(92) p. 308. (93) Apologet. II. pro Christianis p. 73. (94)
Persianisch. Reisebeschreibung L. III. c. 23. p. 283:

CAPUT III.

DE

MATERIA BAPTISMI
COELESTI SEU INTERNA.

Θέσις.

Materia Baptismi coelestis interna & invisibilis, singulari modo ac denominative est Spiritus S. non exclusis adeo reliquis SS. Trinitatis Personis.

Ἐπὶ Θέσις.

1. E Gimis haec tenus de materia Baptismi terrena, exterrana & visibili, poscit jam methodi ratio, ut ad coelestis Materiarum considerationem progrediamur. Hanc quod concernit, non uno se Theologos, etiam orthodoxos, explicare modo fatemur; adeo, ut hac sententiarum diversitate moti quidam, censeant materiam coelestem in sacris non diserte esse definitam, ob quam causam illi suum planè de controversia hac judicium suspendunt, id quod facit inter alios B. Forsterus, qui malebat, (ut cum eo loquamus) cantam fateri ignorantiam, quam falsam profiteri scientiam. (1) Verum enimvero id B. Walthero (2) non videtur tutum in re tam ardua, cum Scriptura quoad præsens negotium (ut ipse loquitur) non sit planè muta & elingvis. E 2 2 Re-

(1) In Decad. Catech. in L. de Bapt. (2) Cent. Misc. Theol.
p. 201.

2. Reliquorum si adeamus Scripta, quinque potissimum sese nobis offerunt sententiae, quae, tametsi inter semet diversae sint, nulla tamen earum fundamentum Fidei tollit, aut labefactat.

3. Prima est eorum, qui materiam Baptismi cœlestem faciunt Verbum: cui sententiae subscrubunt B. Lobecchius, (3) Jacobus Martini, (4) Himmelius, (5) & ex Reformatis Joh. Hoornbeeck, (6) & Heinr. Altingius. (7) Probant verò, quod sentiunt, ex Eph. V, 26. ubi Christus dicitur *Sanctificare Ecclesiam, lavacro aquæ in verbo.* Loquitur autem Apostolus de verbo mandati & promissi, ex quo haudquam liquido deduci potest, verbum esse materiam Baptismi cœlestem. Nam verbum mandati, præter materiam cœlestem, complectitur & reliqua, quæ ad hujus Sacramenti constitutionem necessaria sunt. Hinc judice Theologo accuratisimo B. Affelmanno, *satis impropria est hec sententia: Si enim, inquit, (8) verbum altera essentialis Baptismi pars esset, eodem modo & S. Cœna esset pars altera, cum de paribus pars sit judicium: at S. Cœna pars altera non est verbum, sed corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, E. nec Baptismi.* Addatur judicium B. Hülsemanni (9) & magni nostri Strauchii, qui ita de hac sententiâ loquitur: (10) *Qui verbum habent pro materia Baptismi cœlesti, ἀνυεγλόγως loquuntur: illud enim verbum moderatur totam actionem sacramentalem, immo verbum mandati pertinet propriè ad causam efficientem,*

non

(3) in A. C. p. 231. (4) Partitt. Theol. Disp. XXII. Th. 25. (5) Synt Theol. p. 286. (6) Theol. Pract. T. II. p. 386. (7) Theol. Elench. L. XIV. p. 447. (8) Synt. P. I. p. 812. (9) Praelect. in F. C. in Opere postumo p. 468. (10) Nott. MSS. ad Definitiones suas. Def. 116.

non materialem; verbum promissionis ad causam finalem. Preterea verbum promissionis ideo pro materia Baptismi haberi nequit, quia promissio tantum ingenuis, non autem hypocritis communis est; ex quo sequeretur, hypocrita verum Baptismi Sacramentum non accipere. Conf. etiam judicium B. Waltheri l. c.

4. Secunda est Sententia eorum, quibus sanguis Christi materia in Sacramento hoc coelestis est, prouti censem B. Hutterus, (11) Eckhardus, (12) & Waltherus. (13) Præsidium queritur in verbis Apostoli I. Joh. V, 6. ubi Salvator noster venire dicitur, *non per aquam tantum, sed per aquam, & sanguinem*; similiterque in I. Joh. I, 7. Apoc. VII, 14. ubi dicimur *lavari & ablui sanguine Christi*. Sed in priori dicto, consensu Interpretum, sermo non tam præcisè est de materia Baptismi coelesti, quād de testimonio salutis nostræ, quod probetur in Verbo, in Baptismo & in Eucharistiâ. In reliquis Dictis, lavari quidem dicimur & ablui sanguine Christi; sed non restringitur illa ablutio ad Baptismum, multò minus ad materiam Baptismi coelestem. Abluimus in Baptismo, merito sanguinis Christi; non autem substantiali sanguinis Christi materiâ, ut in Eucharistiâ eum bibimus. Conf. B. Hulsemannus. (14) Hinc B. Affelmanus l. c. sequens hac de sententiâ fert judicium: *Non probo hoc, ita nude dictum, quia in verbis Institutionis Baptismi, non sit mentio sanguinis, ut in Eucharistiâ. At de substantialibus Sacramentorum partibus, ex propriâ institutionis sede, judicandum.*

E 3

5.Ter-

(11) Disp. XVI. in A. C. (12) Anal. Epist. Johann. Canon. (13) Cent. Misc. Theol. them. XV. p. 206. (14) l. c. p. 467.

5. Tertia est sententia B. Wilhelmi Lyseri, (15) qui aquam, è latere Christi fluentem, cœlestem facit Baptismi materiam. Sic enim ait: *Materia cœlestis Baptismi est tota SS. Trinitas, Filius humanitas, & aqua, quæ ex latere ejus effluxit.* Quam sententiam Nazianzenus sui temporis, B. Schertzerus, piam equidem, sed minus certam pronunciat. (16)

6. Quarta sententia est eorum, qui combinatam faciunt Baptismi materiam, nempe spiritum & sanguinem Christi simul: quæ sententia est Cypriani, teste Huttero, (17) & Ambrosii. (18)

7. Ultima, eaque omnium perfectissima, & tutissima, ordine quinta, est sententia eorum, qui totam SS. Trinitatem, servato tamen proprietatum & operationum ordine ac discrimine, pro cœlesti materiâ Baptismi agnoscunt. Id quod facit B. Lutherus, hunc in modum scribens: (19) *Man soll die H. Tauffe nicht anders ansehen/ als etiel Blut des Sohnes Gottes/ und etiel Feuer des H. Geistes/ darinnen der Sohn durch das Blut heilz get/ der H. Geist durch sein Feur badet/ Gott der Vater durch sein Licht und Glaub lebendig mache/ also/ daß sie alle drey persöhnlich gegenwärtig/ und alle ihre Krafft in die Tauffe ausschätten.* Quem sequuntur Theologi, de Ecclesiâ DEI meritissimi, jam perennis gloriæ diadematæ in Academiâ, quæ in cœlis est, cincti, Chemnitius, (20) Gerhardus, (21) Wittebergenses, (22) Coelestinus

(15) Summar. Theol. n. 274. (16) Syst. Theol. p. 364.
 (17) LL. CC. p. 637. (18) L. de his qui mysteriis initiantur c. 11.
 (19) T. II. Jen. Germ. f. 287. (20) LL. CC. P. III. L. de Bapt. p. 148.
 (21) T. IV. LL. CC. L. de Bapt. p. 906. (22) T. II. Diipp. Disp. XI. th. 62, p. 748.

nus Myrslena, (23) Lauterbachius, (24) Nicol. Hunnius, (25) Affelmannus, (26) Christianus Matthias, (27) Stephanus Klotzius, (28) Carpzovius, (29) Röberus, (30) Theologi Giessenses, (31) Balthas. Meisnerus, (32) Mentzerus, (33) Balduinus, (34) Feurbornius, (35) Finckius, (36) Königius, (37) Joh. Müllerus, (38) Brochmandus, (39) Battus, (40) Cundisius, (41) Olearius, (42) Kromayerus, (43) Binchius, (44) Friedliebius, (45) Johann. Meisnerus, (46) Calovius, (47) Quenstedius, (48) & ex iis, qui hodie adhuc (utinam diu!) præsunt Ecclesiæ Christi magno cum fructu, Dn. D. Sebastianus Schmidius, (49) & alii plures.

8. Quibus omnino ex Theologis nostris accensemus illos, qui, ut suam de præsenti controversia sententiam, magis perspicue exprimant, dicunt, *materiam Baptismi cœlestem esse totam SS. Trinitatem; singulariter vero & de-*

nomi-
 (23) Manual. Prut. Disp. XIII. membr. 3. th. 4. (24) Synt. Disp. Synodal. Disp. XI. th. 7. p. 309. (25) Epit. Cred. p. 406. (26) Synt. P. I. p. 812. (27) Syst. Theol. p. 337. (28) Disput. post. de Bapt. Sect. I. Prop. 2. (29) Ifag. in Libb. Symbol. p. 857. & 1087. (30) Colleg. Theol. Disp. XV. th. 5. (31) T. II. Disp. p. 497. & T. V. p. 313. (32) Conc. IV. in A. C. Attic. IX. p. 74. & Evang. Andacht. p. 314. & Tract. de Sacram. Disp. X. th. 25. p. 91. (33) T. I. Opp. p. 146. & T. II. p. 823. (34) Disp. XV. in Attic. Smalcald. th. 44. p. 357. (35) Synt. Disquisit. P. II. p. 175. (36) Tract. de Bapt. p. 24. (37) Theol. Posit. §. 789. (38) Conc. in A. C. p. 467. (39) Syst. Theol. T. II. p. 210. (40) Comment. in Epist. ad Eph. Disp. XX. (41) in nott. ad Comp. Hutteri p. 1659. (42) Geissl. Handb. p. 1246. (43) Theol. Positivo-Pol. p. 657. (44) Mellif. Theol. P. V. p. 154. (45) Mysterios. p. 75. & Medull. Theol. p. 886. (46) Comp. Theol. Disp. XIV. th. 10. (47) T. IX. Syst. p. 182, seqq. (48) Syst. P. IV. c. 5. Sect. I. p. 116. (49) Aphor. Theol. p. 221.

nominativè Spiritum Sanctum, id quod faciunt insignia illa Ecclesiæ lumina, jam in coelis fulgentia, B. Agid. Hunnius, (50) Rungius, (51) Mylius, (52) Schröderus, (53) Hulsemannus, (54) Dannhauerus, (55) Bebelius, (56) Schertzerus, (57) Strauchius, (58) &, quæ hodie adhuc inferviendo Ecclesiæ consumuntur, (utinam serò!) Augustus Lipsiensium Theologus, Dn. D. Pfeiferus, (59) & Summè Reverendus Dominus Præses, Præceptor ad cineres usque venerandus, (60) quorum vestigia & noscà, quâ decet, observantia, exosculamur & sequimur.

8. Sic igitur tota SS. Trinitas, sicuti in Baptismo Christo visibiliter, ita in Baptismo Christianorum invisibiliter præstò est, cum beneficiis gratiæ, per aquam, verbo unitam & sanctificatam. Quo respectu B. Lutherus aquam Baptismi, sèpè vocat Deificatam.

9. Adebat Deus Pater in Baptismo, gratiosâ suâ præsentia, & per Baptismum recipit baptisatum in gratiam, propter constitutum generis humani Redemptorem Christum. *Adoptat eum in filium, & certo respectu exclamat de eo, uti in Baptismo Christi: Hic est Filius meus dilectus (& filia mea dilecta) qui (qua) mihi complacuit, uti loquitur celeberrimus Lubecenius Theologus, B. Nic. Hunnius. l. c.*

10. Adebat in Baptismo Deus Filius, non tantum ut Lumen de Lumine, verus Deus de vero DEO, sed ut

Ieđiv-

(50) T.I. Opp. p. 1023. (51) Disp. privat. Disp. XIII p. 152.
 (52) Volum. Disp. Theol. Disp. X. th. 23. seqq. (53) Comp. Relig. Christ. p. 339. (54) Praelect. in F. C. in Opero posthumo p. 468. seq. (55) Mysterios. p. 351. & Hodof. p. 1056. (56) Antiquit. Ecclef. Sec. III. Artic. III. Sect. V. §. 13. p. 259. (57) Syst. Theol. p. 364. & Brev. Theol. Hulsemann. p. 190. (58) Defin. 116. & Nott MSS. super illam. (59) Evang. Christen-Schule p. 853. (60) in nott. MSS. ad Comp. Hutt. L. XX. Obs. 8.

γενθεωτος, qui in plenitudine temporis, humanam ex B. Mariâ Virgine naturam, in suam assumit hypostasin, eamque sibi *αὐχεῖσε* & *αἰδιαλύτε*, ut pii Veteres loquuntur, univit, qui suam baptisato donat justitiam, & participem eum omnium suorum beneficiorum facit. Sic nec præsentiam gratiosam sanguinis Christi in Baptismo inficiamus; quamvis paulò ante disputaverimus, contra præsentiam ejus Sacramentalis. Nempe efficacem se exhibet secundùm illud, quod Veteres cecinerunt:

Ocellus, ut sit, adspicit,
Effuso liquoris;
Sed spiritu vim percipit
Christi Fides crux,
Fluenta sanguinis rubra
Videntur hac tuente,
Quæ cuncta sanat vulnera,
Accepta de Parente,
Et quolibet patrante.

Quem hymnum B. Lutherus emphaticè vertit: *Das Aug' allein das Wasser sieht etc.*

11. Adest in Baptismo Spiritus S. non tantùm ratione essentia, ut reliqua Trinitatis Personæ, sed singulariter & denominativè, per influxum peculiarem offert ibi salutarem efficaciam beneficiorum Christi, obsignaque foedus, inter DEum & baptizatum, ut nunquam non, ex parte DEI, ratum ac firmum maneat. Quo de eleganter Paulinus: (61)

Sanctus in hunc Cælo descendit Spiritus amnem,
Cælestig sacras fonte maritat aquas.

F

Conci-

(61) Epist. XII. ad Seren.

Concipit unda D Eum, sanctamq; liquoribus almis

Edit ab eterno semine progeniem.

12. Cum autem baptizandorum alii sint Hypocritæ, actuali impoenitentiâ & incredulitate D E O recalcentes, alii verè credentes, aut ad minimum non renientes, observandum, quod aliâ ratione Spiritus S. in Baptismo credentium, & aliâ in Baptismo Hypocitarum se efficacem exhibeat. In Baptismo credentium concurrit, non modò quâ gratiæ oblationem; sed etiam quâ salutarem, in actuali regeneratione & renovatione collationem. In Baptismo hypocitarum, tantum concurrit quâ oblationem; non etiam quâ collationem, ut pote, quam culpa eorum, quibus conferri deberet, impedit.

13. Nihil verò huic Sententiæ, quando SS. Trinitatem pro materiâ cœlesti Baptismi habemus, obstat, quod eadem causa efficiens, instituens & ordinans Baptismi sit: utrumque enim verum est (*καὶ ἀλλοὶ καὶ ἄλλοι οὐκέτε τρίτοιν*) secundum alium atque alium receptionis modum, ut loquuntur Theologi Giessenses. (62) Sicut & Salvator noster Optimus Maximus, in Sacramento Cœnæ, & hospes est, & ipse cibus ac potus; itemque in arâ crucis simul altare, sacerdos, victima factus est: quo de eleganter Barlaeus: (63)

*Hoc ligno nos, Christe, beas, altare, sacerdos,
Victima, cuncta unus, jam minor ipse Deo es.*

14. Liceat ad thesin nostram magis illustrandam, adducere verba quædam B. Hulsemanni: (64) *Quamvis inquit, opera Trinitatis ad extra, inter que merito numeratur*

(62) T. II. Dispp. p. 497. (63) Poëm. P. II. L. I. El. 18. p. 51^o

(64) Praelect. in F. C. in Opere posthumo p. 470-

tur modus concurrendi ad institutionem Baptismi, communia sint omnibus tribus Personis, non impedit tamen, quò minus Spiritus S. singulari ratione dicatur materia celestis Baptismi: non tantum, per nudam denominationem externam, sed etiam per influxum singularē characteris sui, per quem dicitur Sanctificator. Quemadmodum etiam Creatio communis est omnibus tribus Personis SS. Trinitatis, & singulari tamen ratione tribuitur Patri, non solum ratione ordinis, neque etiam solum ratione originis, quia Filius & Spiritus S. esse suum à Patre habeant, sed etiam ratione evidenteris Δαυτέλεσματος, quod Pater evidentiore quadam modo cognoscatur ex Creatione, tanquam Origo & fons omnium. Quemadmodum etiam Incarnatio Opus est totius Trinitatis, & nihilominus secunda Persona, vi characteristica sua proprietatis singulariter influit in Incarnationem. Ita nihil impedit, ne Spiritus S. vi characteristica sua proprietatis singulari ratione, tanquam Sanctificator, influit in Baptismum, & Baptismus tamen quoad essentiam suam commune opus sit & maneat totius SS. Trinitatis. Hactenus ille.

κατά θεοις.

1. PRimum Theseos nostræ membrum, in quo Spiritum S. singulariter & denominativè dicimus cœlestem Baptismi materiam esse, probamus primò, ex Joh. III, 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu: Ubi particula εξ, juncta aquæ, notat terrenam; juncta autem Spiritui, cœlestem Baptismi materiam.*

2. Secundò probamus ex I. Cor. VII, 12. ubi ab lui ἐν τῷ ὄντων & κυρίᾳ ἵνσαι, καὶ ἐν τῷ πνεύματι & Θεῷ, in nomine Domini IESU, & in Spiritu DEI, non tantum dicit

rationem causæ efficientis, sed etiam materialis, quā ab-
luimur.

3. Tertiō ex I. Joh. V, 8. *Tres sunt, qui testimonium perhibent in terrā, Spiritus, Aqua & Sanguis.* Sicut hīc modus testificandi, aquæ & sanguini tribuitur, non tantum efficienter, sed etiam objectivè & materialiter; ita idem dicendum quoque de Spiritu, qui testificatur in Sacramento Baptismi, non solum, ut causa ejus efficiens, sed etiam ut coelestis ejus materia; de quibus omnibus videatur fusiūs B. Hulsemannus l. c.

4. Quartō, ex Tit. III, 5, 6. ubi dicimur *Salvari per lavacrum aquæ*, i. e. rem Baptismi terrenam, & renovationem Spiritus S. i. e. materiam ejus coelestem.

5. Secundum Theseos membrum, in quo *reliquas Personas SS. Trinitatis, nempe Patrem & Filium, cùm de materia coelesti quaritur, non excludendas esse profitemur*, probamus, primò, ex ipsâ Sacramenti hujus fede, videlicet verbis institutionis Matth. XXVIII, 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti:* ubi rō in nomine, non solum notat mandatum instituentis, sed collationem quoque realem ejus rei, in cuius nomen quis baptisatur. Id quod declarat Paulus voce ἐνδύσας Gal. III, 27. indicans; baptrizatum ei, in ejus nomen baptizatus est, incorporari: prouti hæc pluribus egregiè declarat B. Hulsemannus l. c.

6. Secundò, probamus ex stupendâ illâ totius SS. Trinitatis in baptismo Christi factâ manifestatione Matt. III, 16. Luc. III, 22. Joh. I, 32. ubi Deus Pater coelesti voce audiebatur, Filius stabat in Jordane & baptizaba-
tur,

tur, Spiritus S. visibili columbae specie assumptâ, super Christum descendebat. Sicut ibi in Baptismo Christi, visibiliter SS. Trinitas se manifestavit; ita & hodie adhuc in Baptismo nostro invisibiliter præstò est, seque baptizato communicat, de quo vid. superius in *inference* hujus Capitis §. 9. seqq. Deus Pater adoptat baptisatum in Filium, Filius sanguine suo mundat & abluit, Spiritus S. regenerans & renovans illum, est sigillum & pignus fututæ hæreditatis.

ἀντίθεσις.

1. Et primò Calvinianorum, qui materiam Baptismi coelestem, dicunt esse sanguinem Christi, ut Beza, (65) Whitakerus, (66) Wendelinus, (67) Grynæus, (68) Marelius, (69) Spannheimius, (70) Coccejus, (71) & alii.

2. In hoc tametsi errent, ostendemus tamen, nec serio eos ita sentire, aut salvis hypothesisibus, quas fovent, sentire posse. Nam (α) Electos tantum, cum baptizantur, sanguine Christi efficaciter adspicunt docent; quomodo ergo sanguinem Christi possunt facere materiam Baptismi coelestem; cum Baptismi etiam non electi participes fiant? (β) Ex eorum opinione, eadem est materia interna verbi, quæ Sacramentorum. Jam autem sanguis Christi non est pars verbi, E. nec Sacramentorum, & inspecie Baptismi. (γ) Sangvinem Christi tanto ab

F 3 aquâ

(65) Colloq. Montisbelgard. f. 367. (66) Tr. de Sacram. p. 219. (67) Exercit. Th. n. 86. p. 1379. (68) P. I. Dispp. Theol. p. 283. (69) Colleg. Theol. L. LXVIII. §. 42. p. 349. (70) Synt. Dispp. Theol. P. I. p. 351. (71) T. VI. Opp. Aphor. Dispp. XXX. §. 2. & Tom. eod. Explic. Ca. e. n. p. 51.

aquâ baptismali removent intervallo, quanto cœlum supremum distat ab imâ terrâ: Qui ergo poterit esse pars altera Baptismi, cùm is peragit in terris? (δ) Nudam introducunt, nobisque obtrudere conantur analogiam, quòd, quemadmodum aqua abluit fôrdes corporis, ita Sangvis Christi abluit fôrdes mentis. Sic verò sangvis Christi non erit materia in Baptismo, sed signatum materiæ, videlicet aquæ. Plura de controversiâ hâc qui desiderat, conferat B. Affelmannum, (72) Kromayerum, (73) Theologos Gießenses, (74) & Balth. Meisnerum. (75)

3. Secundò est Antithesis illorum, qui negant SS. Trinitatem materiam Baptismi cœlestem statui posse. In quâ sententiâ fuit celeberrimi nominis Theologus, (76) cuius argumenta excusit incomparabilis noster Calovius. (77)

4. Atque hæc sufficient, de SS. Baptismi materiâ, ubi omnino verum est, quod de universâ Theologiâ, magnum quondam Ecclesiæ Christi lumen, cuius splendor, etiam extincto vitæ lumine, in scriptis, publico Ecclesiæ bono, lucet quam nitidissimè, B. Gerhardus, (78) pronunciavit: *Omnis noster in Theognosi & Theosophia profectus, in hac vitâ est imperfectus, & cùm ad summum pervenit gradum, est verbum Defectivum, cuius clausula est,*

CÆTERA DESIDERANTUR.

(72) Synt. P. I. p. 813. (73) Theol. Positivo-Pol. P. I. p. 657. (74) Dispp. T. II. Disp. XIV. p. 499. (75) Tract. de Sacram. Disp. X. p. 91. (76) Ausführl. Erklärung der Jenischen Theologen p. 680. (77) Syst. T. IX. p. 182. seqq. (78) LL. CG. T. IX. L. de vitâ æternâ §. 73.

Auriloqui quondam, germana propago Parentis,
MOLLERE, Aonii portio grata chori,
Quod fortis pasim generentur fortibus, atque
Primævum referat, nobile stemma genus,
His monstras thesibus, proprio quas Marte parasti:
Ex tenui totus noscitur ungve Leo.

*Hic p̄fstanissimo Autori, Auditori suo longè charissimo
prosperrima queque ex animo optat*

SAMUEL SCHELGUIGIUS, D.

Hæc nos fata manent: socio sic vita sepulchro
Jungitur, & primum mors rapit atra diem.
Sed revocare diem, ac amissam reddere vitam;
Hunc pia Baptismi jura dedere modum.
Par via virtuti est, cineres renovare sepultos,
Et necis invisum tollere, docta, jugum.
Hæc Te jura manent, Baptismi jura docentem;
Immortale Tibi dat labor iste decus.

*Ita Eruditissimo Domino Respondent de egregio
Eruditionis specimine gratulatur*

J. SCHULTZ, D. & P. P.

Non sunt Medusa, non Caballi adspargines,
Non spuma Phœbi, nec Platonis balnea,
Quibus diserta, Theophile, labra prolnis.
Fontem salutis, rore plenum Gratia,
DE Igitur tinctum infontis Agni vulnere,
Cryſtallinoq; lene ſalientem ē mari;
Fontem recludis ē Sionis fontibus,
E limpidis vita perennis fontibus,
E ſempiterne veritatis fontibus,
DE Oꝝ grata ſanctitatis fontibus.

Defi-



Desiderabilis sequere vestigia
Tui PARENTIS macte Avitâ gloriâ.
Et perge scrutari salutis rivotos.
Habitat profundam, quam petis, Sapientia:
Nec uniores repperire est in vado.
Mersum profundo ditat ex alto DEUS.
f. lmq;

M. FRIEDER. CHRISTIAN. BÜCHER,
ad D. Cathar. V. D. Minist.

I Ngenium Geniumq; refers, MOLLERE, Paternum,
Progenies Charitum, Palladiæque Domus.
Ingenii præsens prodit Meletema vigorem,
Mores, quæ Genii gratia rara Tui.
Proposito optatam si tanges tramite metam,
Virtus, Spero, Tui non moritura Patris.

Eruditissimo Domino Affini, ad gloriam Paterni
Nomini feliciter entieni

P.
JOHANNES STRAUF/
V. D. M. ad D. Joh.

Ad Præstantissimum DN. M ÖLLERUM,
Paternarum Virtutum strenuè æmulum,
Amicum Colendum.

P Rima fores reserant quæ nunc, Mysteria, Cœli,
Primi Exercitii sunt quoq; Thema Tui.
Nempe lavat sordes Baptismi lympha malignas,
Quæis Homo pollutus nascitur atq; scatet.
Humani hac steriles fœcundat Peccoris agros,
Siccaq; cœn Nilus refluxus arva, rigat.
Non tamen effuse nativa hoc efficit Linda
Virtus, Vis tantum Cœlica prestat opus.

Sint

Sint Syrie licet amnes pre Jordane salubres,
 Qui purget mentes criminis, nullus erit.
 Scilicet aeternum junctum est cum flumine Flamen,
 Cælestisq; lavat gurgite corda DEUS.
 Humanum superat Captum Res Mytifica: tingit
 Spiritus una animas, Corpora quando liquor.
 Tanta igitur Juvenis cum jam scrutaris, Amice,
 Quid non Spes de Te pollicitura Viro?

L. M. Q. S.

DANIEL Schmidt.

Quondam Romulidos apud Qui-
 rites
 Si quis, jussus Aquâ carere & igne,
 A tergo patriam videret urbem,
 Infelix animam trahebat exul.
 Sanctus Spiritus ignis ille celi est,
 Qui coniunctus aqua fluentis undæ,
 Sacri materiam facit lavaci.
 Infaustos ter & amplius vocabis,
 Coelesti procul exules ab aulâ,
 Tali quoquot aquâ carent & igne.
 Atque hæc materies pereruditæ
 Suggestit Tibi Disputationis
 Ansam & materiam, Tu decenter
 Quadrantem ingenio. Laboriosum est,
 Hic quod listis, opus, gerisq; curam
 Ante annos animumque fat virilem.

Sunt hic egregia Eruditionis
 Praclaræ monumenta, spemq; de Te
 (Si vita est diuturnioris usus)
 Haud vanam patriæ relinquis Urbi.
 Plus ultrâ modò perse, perse gnarus
 In capiis alacri labore penitus
 Desidare: domesticum Beati
 Exemplum Patriæ exciter latentes
 In mente igniculus, ut æmulari
 Ejus, vel superare facta possis.
 Praclaris DEUS instruit supremus
 Te donis, sapientiæque tingat
 Coelestis fluvio, integræ benignus
 Per vita stadium sacri secundans
 Conatus studii, ut queat Godanum
 De tanto sibi gratulari alumno.

Hunc qualemung; applausum Prestantisimo Domino Au-
 tori, Familiari meo, verè amicissimo debebam

CAROLUS MOERING, Ged.

Cum tumulo veneranda Tui, Mölcre, Parentis
 Eusebie lacrymans cerneret ossa dari,
 Obstupuit, subitoque metu riguere capilli,
 Et tantum potuit vix gemebunda loqui:
 Nunc Omuthiades, ait, & Cramerus uterque
 Dilgerusque simul, nomina quanta! jacent,
 Cumque Viro hoc splendor pariter mihi definit omnis,
 Eheu! sarciri nescia damna queror.

G

Aft



Ast Natum ut pulchris spectat modo surgere campis,
Pulpitaque intrepido scandere docta pede,
Et jam Soeraticos male pubem præcipere annos,
Ingenioque ipsos anticipare senes:
Quæ nova jam nostrum, quærit, lux pervolat orbem?
Ille quis est radians Cynthius? Unde venit?
Et posito fletu, Müller è funere Phanix,
Intonat, ô vivas, ô amor usque meus!
Vivas, atque Tua feliciter ora juventæ
Maturis quondam pensa coronet honos.
Quin Tu segnitem fugiens cane pejus & angue,
Improbos inceptam currere perge viam.
Sic mox dignus eris (insint, precor, omnia verbis!)
Qui gestes sancti munia sancta DEI:
Taliter Eusebie. Quid nos? votis quoque vota
Jungimus: exæquâ, vel superato Patrem.
nontam mortis, quam amori causâ p.
DANIEL KOLB, Gedan.

S O N E T.

En Mühlwerck ruhet still und schlæsst gleichsam ein/
Wenn Amphitrite nicht ihm wiß das Wasser reichen;
Wenn Eos keinen Wind läßt umb die Flügel streichen/
Wenn es von ihrer Hülff entfernet steh' allein.
Wie könnte dann Dein Geist/ mein Müller/ müßig seyn?
Dein Geist/ den treibt ein Fluß/ dem alle Flüsse weichen/
Der durch des Blutes Kraft tan alle Sünden- Seuchen
Vertilgen und/ was uns befecket/ machen rein.
Dein Geist/ den treibt ein Wind/ der solchen Fluß bewegt/
Und durch geheime Macht zu unserm Heil erreg't:
Wo von dieß Kluge Blatt uns herrlich weiß zu lehren.
Nun/ nun/ mein Wehretter Freund/ fahr ferner also fort/
Man wird/ wo irgend nur zu finden ist ein Ort/
Da Weisheit harden Preis/ Dein Mühlwerck klappern hören.
Diese wenige gering schätzige Zeilen wolte und sollte dem Hn. Auctori/
als seinem bräderlich-geliebren Freunde/ im Scherzen/
aber doch von Herzen/glückwünschend beifügen
Ernst Gottlieb Lüschner/ von Danzig.


¶.):o):¶.



S. 6.

VON





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

8 Dec. Diss. Theologica de materia Baptysm. sub Schelguig. Mollerus aucto.
IN GLORIAM MEDIATORIS. 8 Geogr.

548
EXERCITATIO THEOLOGICA
DE E. 12. num. 15.

MATERIA S.S. BAPTISMI,

Quam,
P. 371 1688, 2
DIVINA annuente GRATIA,
Sub PRÆSIDIO
VIRI

Summè REVERENDI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
DN. SAMUELIS SCHELGUIGII,

SS. Theol. D. PP. & Rectoris itemque ad
Æd. SS. Trinit. Pastoris,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS, FAUTORIS
ac Studiorum suorum PROMOTORIS eternum devenerandi,

IN
AUDITORIO ATHENÆI PATRII MAXIMO,
A. C. M. DC. LXXXIX. die XVI. Decembris.

Solenniori disquisitioni, exponet,
JOANNES Gottlieb MÖLLERUS, Ged.
AUCTOR.

G E D A N I,
Imprimebat DAVID-FRIDERICUS RHETIUS
Gymn. Typogr.

